



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qvalitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

193. Quot vota referre quis debeat, ut censeatur approbatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)

si fecerint relationem solum quoad literaturam, relinquendo reliqua Episcopo, etiam si hic ita velit, imprimis juxta *Garc. cit. c. 2. n. 106.* peccent mortaliter, quia non implent suum officium, dein etiam ipsa provisio parochialis subsēcuta sit nulla, cum Concilium clarè loquatur, dicens contrarium & dans formam cum dicto irritante. *Garc. p. 6. c. 2. n. 239. & seq.* ubi ait, proinde non valere quod dictum in una *Casalen. parochialis 2. Martii 1584. coram Robustino.* sed tenendum à Rota resolutum in *Casalen. paroch.* Anno 1586. coram eodem *Robustino.* censet tamen *Lott. cit. q. 31. num. 107. & seq.* opus non esse explicare singula singulatim, sed sufficere implicitam relationem per universalem, vel saltem indefinitam orationem, veluti si enuncientur tales idonei, cum hoc sensu intelligatur facta relatio respectu omnium necessariorum & requisitorum de jure, argumento *c. super inordinata. de preb.* ac proinde etiam de moribus, etate &c. refertur *Lott.* sic resolutum ex mente S. Congreg. à Rota in *Albigan. concursus 28. Aprilis 1614. coram Cavalerio.* Nihilominus ut addit *Lott. n. 110.* Generalis relatio contraheretur propter specificationem aliquorum ex prædictis, ita ut tunc quoad alia posset videri facta relatio negativè, seu non idoneitatis, ac proinde Examinatores sic perperam referendo non fecisse officium suum. Porro reperitur forma præscripta per *Clem. VIII. sub dato 8. Aprilis 1596.* tam respectu parochialium quàm simplicium, nimirum ut teneantur Examinatores, absoluto examine, referre omnes repertos idoneos ratione scientiæ ad curam animarum, licet in iis legitima ætas delit, etsi nullus repertus idoneus ad curam, teneantur referre, quotquot idonei ad beneficium simplex. Quod tamen intelligendum ait *Lott. n. 128.* dum agitur de provisione beneficii simplicis, non verò si de curato, dum enim extat aliquis idoneus ad curam animarum, non esse jam opus referre de aliorum idoneitate ad simplicia, citatque pro hoc decisionem *Rotæ 505. n. 1. in recent. p. 2.*

*Questio 193. Quot vota referre quis debeat, ut censetur approbatus vel reprobatus?*

**R**espondeo tam approbatum quàm reprobatum pendere à conclusione majoris partis votorum juxta regulas generales electionum, præsentationum &c. quæ universitatis vel collegiatiivo jure fiunt, ut scilicet major pars dicatur illa, quæ medietatem congregatorum etiam in uno vel in dimidio voto excedit, habitâ comparatione omnium Congregatorum; non autem comparative ad minorem partem in diversâs sententias abeuntem v. g. ut dum 3. vel 5. sunt examinatores, 3. vel respectivè duo concludant, de *Luca, ad Trid. d. 32. n. 9. de paroch. d. 1. n. 18.*

*Questio 194. An, & qualiter ab Examinatorum aliquo occasione hujus muneris commissa simonia noceat approbato?*

**R**espondeo Examinatorum horum munus juxta Tridentinum omnino gratuitum esse debet, omneque emolumentum sub quovis prætextu simoniacum reputatur.

2. Si tamen hæc turpitudò ab iis, vel eorum aliquo committeretur, id præjudicare non debet concurrentibus aliis idoneis, quibus de justitia ap-

probatio debita erat, ubi hi confcii & participes non sunt, dum nimirum ab eorum conjunctis vel benevolis ipsis ignaris id factum est ad evitandam injustam reprobationem. Adhuc tamen, quando de hoc habetur aliqua diffamatio, quæ scandalum saltem de factò præbere valeat, reputatur hoc ipsum justum motivum in præelectione postponendi illum, qui aliàs magis dignus præligi debebat. *C. de Luc. cit. d. 32. n. 16.* citans seipsum *de benef. d. 70. & de paroch. d. 8.*

*Questio 195. An, & qualiter Episcopus voto suo accedere possit ad Examinatores, habeatque votum decisivum?*

**R**espondeo primò: accedere potest Episcopus ejuſvè Vicarius, quibus magis videbitur, dum Examinatores sunt 4. vel sex, vel singularia, sic habet in terminis *Trid. cit. c. 18.* & in eo solum casu votum decisivum habet Episcopus ejuſvè Vicarius, ut habet S. Congregatio ad *cit. c. 18.* Parisius *de resign. l. 8. q. 9. n. 105.* *Garc. n. 55.* dicuntur autem vota tunc singularia, cum ex tribus Examinatoribus unus approbat unum, quem alter reprobat, & tertius nec reprobat nec approbat. *Garc. n. 62.* Hinc dum Examinatores singuli approbant unum diversum, quem reliqui reprobant, hæc accessio Episcopi locum non habet, nec is censetur approbatus, pro quo cum uno Examinatore stat Episcopus, reliquis Examinatoribus eum reprobantibus; hic enim vota nec sunt paria, nec singularia. *Corrad. l. 3. c. 4. n. 13.* *Garc. n. 63.* contra *Ledesm.* tenentem posse accedere Episcopum parti cui voluerit, si Examinatores tres singuli divisi in suis votis, vel eorum duo pro uno, & tertius pro altero. Sic v. g. Examinatores sunt *Cajus, Titius, Sempronius:* examinati *Petrus, Paulus, Joannes;* *Cajus* approbavit *Petrum,* reprobatum à *Titio & Sempronio,* *Titius* approbavit *Paulum* reprobatum à *Cajo & Sempronio.* *Sempronius* approbavit *Joannem* reprobatum à *Cajo & Titio.* Episcopus accedendo suo voto v. g. ad *Cajum,* & per hoc faciendo, ut jam pares sint approbantes & reprobantes *Petrum,* non censetur vincere; adeòque adhuc nullus istorum trium videtur approbatus similiter dum unus solus examinatus à tribus Examinatoribus, ab uno eorum approbatus, à reliquis duobus reprobatus, accedente Episcopo ad illum approbantem, adhuc iste examinatus dicitur reprobatus. Item dum Examinatores sunt 5. & quilibet eorum approbavit unum ex examinatis, quem ceteri 4. reprobant, Episcopus accedens ad unum illorum, non vincet ceteros 4. reprobantes eundem, nullusque ex examinatis erit approbatus, tamen si unus jam per accessum Episcopi pro se habeat duo vota, & ceterorum singuli non nisi vota singularia. contra 4. existentibus Examinatoribus, dum singuli examinati dimidiam tantum votorum partem habeant pro sua idoneitate; Episcopus potest ad partem, ad quam voluerit, accedere, & sic reddere approbatum, qui à duobus erat reprobatus, adeòque necdum per reliquos duos votantes pro ejus idoneitate approbatus. Sic censuit S. Congreg. apud *Garc. n. 57.* Potest etiam Episcopus ejuſvè Vicarius, dum quidam ex examinatis ultra dimidiam partem votorum consecuti sunt, & hoc ipso jam approbati, unus verò ex examinatis tulit omnium Examinatorum suffragia, hoc omisso eligere unum ex aliis. Sic habet declaratio S. Congregationis, quam recitat *Garc.*